

2.
DECRETUM CONGRESSUS

Prot. n. 53235/17 CA
Reductionis ecclesiae X in usum profanum
(D.nus Y – Congregatio pro Clericis)

Recursu contencioso administrativo in causa de qua supra, decreto diei 26 octobris 2017, in limine reiecto, provocavit Cl.ma Recurrentis Patrona ad Congressum.

Positis ponendis, memorialibus nempe a Cl.mis partium Patronis porrectis, voto Rev.di Promotoris Iustitiae Substituti prompto iisque scripturis more solito commutatis ad facultatem respondendi cuique agnoscendam,

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Attento quod impugnatum H.S.T. decretum aperte agnovit atque praesupposuit quod:

- suppressio paroeciae X apud H.S.T. impugnata non est;
- «nec in documentis recursui adnexis nec in actis ad H.S.T. transmissis exstat documentum, quo Exc.mus Archiepiscopus ecclesiam X in usum profanum reduxisset quodque in recursu hierarchico impugnari potuisset»;
- huius recursus hierarchici materia apud Congregationem pro Clericis deest;
- salva est facultas «Recurrentis, si et quatenus, provocandi adversus decretum tandem latum vel saltem editum, quo ecclesia X in usum profanum ad normam can. 1222, § 2 ab Exc.mo Archiepiscopo reducitur»,

qua de re idem impugnatum decretum concludere debuit atque conclusit recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob defectum praesuppositi, ob defectum nimirum reductionis ecclesiae *de qua* in usum profanum atque inde ob defectum legitimi recursus hierarchici;

Cum rationes adversus impugnatum H.S.T. decretum adductae pares non sint ad rationes eiusdem decreti submovendas, ac proinde idem decretum confirmandum sit;

Pro comperto inde habito quod ex praesupposito *de quo*, in praefato decreto confirmato, ratio scaturit:

– petitionis, quam Cl.mus Recurrens ad normam can. 57, § 1 ad Exc.mum Archiepiscopum N die 15 septembris 2016 legitime porrexerat, ut scilicet ecclesia X denuo aperiretur;

– silentii Exc.mi Archiepiscopi per tres menses protracti;

– recursus hierarchici adversus praefatum silentium a Cl. mo Y ad Congregationem pro Clericis die 28 decembris 2016 porrecti;

– silentii item a praefato Dicasterio per tres menses servati, quod adversus idem Cl.mus Y apud H.S.T die 22 maii 2017 provocavit,

quam ob rem legitime proposita habenda sunt petitio, recursus hierarchicus et recursus contentiosus administrativus de ecclesia X adaperienda;

Praetermissis adhuc ceteris forte animadvertendis;

Confirmato proinde impugnato reiectionis decreto;

Vi art. 76, § 4 necnon art. 83, § 1 H.S.T. *Legis propriae*;

Vi quoque, saltem ex analogia, praescriptorum can. 1611, n. 2 atque art. 90 praefatae *Legis propriae*, quoad partium obligationes ex hoc decreto ortas et modum quo eadem implendae sunt;

Re sedulo examine subiecta in Congressu diebus 28 maii et 1 iunii 2018 coram infrascripto Praefecto habito,

decrevit:

Confirmandum esse et facto confirmari decretum die 26 octobris 2017 latum;

Admittendum esse et facto admitti ad disceptationem coram Em.mis et Exc.mis Patribus Iudicibus recursum adversus silentium quoad ecclesiam X adaperiendam;

Immutandam inde esse et immutari huius recursus inscriptionem, quae deinceps erit: *Ecclesiae X adaperiendae*;

Ecclesiam X hoc recursu pendente, alienationi vel cuicumque alienationis contractui obnoxiam esse non posse.

Et notificetur omnibus quorum interest ab omnes iuris effectus.

Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 1 iunii 2018.

Dominicus Card. MAMBERTI, *Praefectus*
+ Iosephus SCIACCA, *Secretarius*